

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Jacob Fabricius Johannes Rumbhelt

Iuramentum Hippocratis, Seu Medici Practicam Aggredientis Institutio

Rostochii: Pedanus, 1614

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742558789>

Druck Freier  Zugang



*T. F. 105
XXVIII*

Ma - 3835 ¹⁻²⁶



ΣΤΝ ΘΕΩ.

2. 59

JURAMENTUM
HIPPOCRATIS,
SEU
MEDICI PRACTICAM
AGGREDIENTIS INSTITUTIO.

Pro disputatione publicâ proponebatur
PRÆSIDE
JACOBO FABRICIO.
Med. D. & Profes. P.

RESPONDENTE
JOHANNE RUMBHELT
Sundens.

Loco & horis solitis
Mens. Martij die XIX.



ROSTOCHII
Typis exscrispit Joachimus Pedanus
ANNO M. DC. XIV. 1614



JURAMENTUM HIPPOCRATIS,
SEU
NOVELLI MEDICI INSTITUTIO.
THESIS I.

SUS JURANDUM, quo veteris ævi
Medici discipulos suos, antequam eos ad
artem faciendam admitterent, adstringe-
bant, disputatōne nostrā explicaturi, illud
rectē Hippocrateis libris præmitti, ejusq;
genuinum autorem divinum senem esse,
contrā quām vīsum fuit magno Italiae Medico H. Mercuri-
iali, pronunciamus.

II.

Cujus rei autores præter alias Scribonium Largum in
Epistola ad Juli. Callistum, & Oribasium in veritibulo
explicationis Aphorismor. Hipp. producimus, inque cā,
sive rerum veritatem, sive instrumentorum elegantiam,
nimirum καὶ τέχνην spectemus, ulterius confirma-
mur.

III.

Constat verò partibus duabus, in quarum primâ &
forma & materia jurisjurandi proponitur; quando in-
vocatis Dījs Deabusq; Medicorum apud Ethnicos pro-
prijs, alijsque communibus omnibus, jurans voluntatis
suæ certitudinē explicat, seq; omnia τὴν δύναμιν τελείων
suam sacrosanctè observaturum pollicetur.

IV.

Cum enim cultiores gentes Deos oculatos & perspi-
caces esse, quos nihil celari, quibus fallacia nulla frui
possit,

possit, certissimè sibi persuaserant; ab hominis imponen-
tiā ad Deorum potestatem ibant, eosque non tantum
judices affectuum animi, sed & violati juramenti vindic-
tes credebant.

V.

Voluit autem cum primis Hippocrates hoc ipso stu-
diosè cavere, ne promiscuè omnibus ad artem iter pate-
ret, vel ejus arcana lippis ac tonsoribns communicaren-
tur, & exosa redderentur. Nec minus fortassis hodiè
illius usus prodeisset, quum medicorum res eò devolutas
intuemar, ut ganionibus, aniculis, & levibus nonnullis
hominibus plus fidei, inque arte Medicā autoritatis, à
primi etiam subfellijs viris tribuatur, quam ijs, qui in artis
præceptis ediscendis vitam propè consumferunt.

VI.

Inter articulos verò juramento obsignandos quidam
ad artis, quæ docetur disciturgi, κατηγορίαv pertinent, nimirū ut
discipuli ad perpetuam gratitudinem & beneficiorum
à præceptoribus acceptorum recordationem obligati,
præceptorí egenti, tanquam patri, piâ αὐλιπελαργων &
alimenta, & quævis alia subministrent, ejusque natos fra-
trum loco habeant, artisque præcepta gratis doceant:
Idque jure merito; quippe quantum animus dignitate
corpus excellit, tanto graviores curæ in educatione præ-
ceptoribus incumbunt, adeoque majore gratiarum
actione & beneficiendi studio illis viciissim devincun-
tur discipuli.

VII.

Quæ obligatio animos præceptorum ad artem Medi-
cam & Philosophiam illustrandam ac amplificandam ef-
fecit liberrimos, quod scirent, si aliquando ad bene vi-
endum quid decesset, illud discipulorum liberalitate
com-

compensatum iri. Simul enim curæ domesticæ & studiorum adsiduitas in ijs rebus, quæ cum nullo lucro sunt coniunctæ, raro cum utilitate concurrunt.

VIII.

Reliqui Articuli ad Artis ~~χερῶν~~ referuntur, quæ in communicatione, vel præceptorum per διδασκαλίαν, vel exemplorum per εγκαὶην occupyinga, utrinque & rerum & personarum habet respectum: Illic quidem, dum jurans sese bonâ fide præcepta universalia traditurum, eaq; exemplis insuper singularibus illustraturum promittit; idque auditoribus legitimis perpetuisque, medicoq; sacramento adstrictis, quales sunt & præceptorum filij, alijque fidæ institutioni sese submittentes, sive nativitate Asclepiadei sint, sive in instituto tantum: Hic autem, quantum Artis instrumenta, sanitati vel conservandæ, vel reparandæ accommodata, in corpus humanum agunt, aut patiendo, aut non patiendo, illudq; vel ut vincant, vel ab eo vincantur.

IX.

Contra istam verò juramenti particulam graviter peccant, qui, quæ profuisse vident, miro studio venantur remedia, citra rationem & artem, eaque lucelli tenuissimi vanævè gloriolæ aucupio linguâ produnt vernacula, gladios hominibus idiotis, quibus sine numero homines jugulantur, subministrantes.

X.

A corpore humano vincuntur alimenta, sub diætæ nomine comprehensa, in quibus, quum animæ & corporis vinculum seu vitæ sustentaculum consistat, præcipua cura erit, ut decenter exhibeantur, ne ægri vires turbentur, corporisve functiones enerventur. Quæ obser-

A 3

vatio,

vatio, quantas Medico pariat molestias, experiuntur illi, qui cum morbis quotidie collectantur.

XI.

Corpus vincunt φάγος, quorum abusum abjurans, se nullius prece vel precio inductum, veneni autorem, aut commonistratorem unquam futurum; nullumve fatus expellendi consilium vel auxilium exhibitum, sanctissime pollicetur.

XII.

Quæ jurisjurandi particula, si alijs unquam in Rebus pub. necessaria fuit, hoc seculo ejus necessitatem gravissimi casus evincunt; quando non raro varia remediorum genera ab astutis mulierculis, sub praetextu magnorum morborum pro absentibus petuntur.

XIII.

Neq; verò hujus dogmatis immemor Hippocrates dicitur, quando comment. de nat. fætus, psaltriæ abortum septies repetito saltu procuravit, ut ex 7. Polit. Aristotel. cap. 16. probavit Mercurialis, quod istis temporibus fætus nondum animatos corrumpere, ne vitam adipiscerentur, nulla lege esset vetitum.

XIV.

Non-patiendo in corpus humanum agunt instrumenta Chirurgica, quorum usus has operas ex professo tractantibus committendus, ita tamen, ut εγχείην ipse sciat Medicus, eamque alijs imperare possit, ne auxilium illius implorantibus defuisse, aut non intellexisse, quæ quis varicosis pedibus aut callosis manibus feliciter facit, quandoque dicatur aut videatur.

XV.

Cæterum & ægris, qualescunq; illi fuerint, cavere, simulque artis amplitudinem magis magisque extendere cogitans

cogitans Hippocrates, discipulos suos, quod salutis causa tantum thalamos & tecta laborantium subire, totiusque vitæ decursu fidem vitæque; integritatem probare, & ab omni improbitate ac libidine perpetuò puri vivere vellint, jurare fecit, idque ne de ipsorum animo & voluntate illi potissimum dubij essent, quorum valetudo eorum opem & operam aliquando imploraret. Unde peccare constat illos, qui pedem extra limen efferre nolunt, nisi singulis passibus adaequetur præmium: quivè libertate, quam apud ægrotos necessitas ipsis concedit, abutuntur.

XVI.

Sicut autem magnam gloriam parit vitæ integritas & castimonia, ita Medici autoritatem auget taciturnitas: quippe in praxi non raro occurunt, quæ omnium auribus instillari non deceat; Quinimò saepè morbis gravantur ægri, quos curari, non divulgari, studiosissime cupiunt. Quare castitatis simul & optatæ taciturnitatis exemplis cunctis jure calumniandi fenestram, occcludere, qui Medicinam feliciter facere allaborant, extremis viribus conabuntur.

XVII.

Cui in jurejurando factæ institutioni qui satisfaciet, ex Hippocratis voto, prosperam medendi rationem & nominis æternitatem consequetur; qui secus, fortunæ ludibrium in singulis operationibus experietur, totoque inglorius orbe manebit. Hæc de juramento, cum quo subnexas theses, DEO juvante, explicabimus.

I. Jura.

- I. Juramentum Hippocratis in Scholâ Medicâ multorum cum commodo & hodie retinetur.
- II. Origo artis Medicæ Hebreis potius & Egyptijs quam Græcis ascribenda.
- III. Illius, licet mors devitari non possit, magna tamen est necessitas.
- IV. Hippocratis ætate Medicorum alij liberi, alij servi fuere.
- V. Editio Germanicorum libellorum in Medicina inutilis.
- VI. Ordo ciborum nihil confert ad coctionem.
- VII. Prandium cœna frugalius esse debet.
- VIII. Magis delinquitur in tenui vietu, quam in pleno.
- IX. Panis facilioris concoctionis quam caro.
- X. Carnes suillæ optimè nutriunt, nec illarum esus insalubris.
- XI. Caseus non præbet calculo materiam.
- XII. Prægnanti graviter decumbenti, ut servetur, abortifera dare nefas est.
- XIII. Venena exhiberi possunt, quæ non subito, sed temporis diuturnitate interficiant.
- XIV. Morbum morbo curare interdum licet.
- XV. Purgationi venæ sectio, quando utroq; auxilio opus est, præmittenda.
- XVI. Miscere aut componere pharmacum à dignitate Medici non est alienum.
- XVII. Nec iniquum censemus cum ægro de salario pacisci.



VII.

Tantum abeat, ut Mercurius præ
artificis in venenum abeat, quod ex rebus
cœlestis, manusq[ue] Dei, ob insignes, q[ue]
adhibitus edit operationes, dici mercatur.

VIII.

Medicus sine Chymia numquam
ex jucundè plurorumq[ue] morborum cura-
re poterit.

[TQ] J[ohannes] d[omi]ni



Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Series No. 092

the scale towards document